



## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. III. Solvuntur argumenta Adversariorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

ipsum essentia: ergo minor probatur. Si per impossibile Filius non acciperet naturam fecundam à Patre, non esset idem Filius, qui nunc est: ergo fecunditas est de essentia Filii.

Confirmatur primò. Si Spiritus S. non esset à Filio, per locum intrinsecum Filius non esset idem numero Filius: ergo virtus spirativa est de essentia Filii.

Neque dicas. Quòd tunc Filius esset alterius rationis. Nam contra est: quod quidquid est de ratione hujus Filii Divini, est etiam de ratione Filii Divini ut sic, sicuti, quod est de ratione hujus numero DEI, est etiam de essentia DEI ut sic, cum singularitas sit de quidditate ipsius, & repugnet alius numero DEUS: ergo cum fecunditas sit de ratione hujus Filii DEI, etiam est de ratione Filii Divini ut sic.

Confirmatur secundò. Nomen Filii à creatis, quibus per prius fuit impositum, extenditur ad Divina: ergo si in creatis fecunditas est de essentia Filii, erit etiam in Divinis: Atqui in creatis est de Essentia Filii: nam Filius creatus est animal genitum simile producenti in forma substantiali, sed sine fecunditate non esset simile producenti in forma substantiali; quippe cum de essentia formæ fecipientis sit, esse principium radicale communicandi naturam.

## §. II.

*Impugnatio hujus sententia*

1. Displicet tamen hæc sententia primò, quia similitudinem naturæ, in definitione generationis significatam, collocat in aliquo notionali, quod est contra S. D. q. 35. a. 2. ubi dicit: *sicut secundum relationes in Divinis non attenditur neque æqualitas, neque inæqualitas (ut Augustinus dicit) ita neque similitudo, que requiritur ad rationem imaginis.* Melior quoque Philosophia relationibus similitudinem denegat.

6. Displicet secundò. Quia ex communicata sibi virtute spirandi Filius non constituitur formaliter in ratione Filii, sed spiratoris: & si per impossibile Spiritus S. etiam acciperet vi suæ processionis virtutem spirandi, vel aliò modò distinctam Personam producendi, non ideo tamen procederet ut Filius, sed ut spirator & principium. Prius quoque Filius ratione nostrâ concipitur constitutus in ratione Filii, quàm in ratione spiratoris, quia Filiario, per quam formaliter constituitur, est virtualiter spiratione prior, & radix ipsius. Unde tametsi per impossibile nec Pater, nec Filius spirarent, atque ita tantum essent duæ Personæ productæ, adhuc salvaretur formalis ratio Filii.

7. Displicet tertio. Quòd dissimilitudo naturæ inclusa in definitione generationis, non significat similitudinem in quocunque gradu generico, sed specifico, unde pro majori claritate in definitione generationis diximus: *Natura specifica*, hæc enim est similitudo, quæ per se primò à generante intenditur: atqui fecunditas sive formalis sive radicalis, cum sit omnibus animalibus communis, non convenit ipsis, nisi secundum gradum genericum: ergo per assimilationem in fecunditate seu formali, seu radicali non bene salvatur definitio generationis.

Unde quartò. Hæc explicatio displicet, tantum modo loquendi SS. PP. & Conciliorum parum consona, apud quos *ly natura* significat substantiam & essentiam, quæ est eadem in Personis, & in qua non tantum Filius Patri, sed omnes Personæ sibi similes sunt & coæquales.

## §. III.

*Solvuntur argumenta adversantium.*

AD I. in contrarium, retorquero inprimis argumentum: nam per Adversar: radicalis ratio distinguendi processionem Verbi à processione Spiritus Sancti, est, quòd illa sit per intellectum, ista per voluntatem: & tamen Derckenis ne virtutalem quidem distinctionem inter utrumque admittit. Respondeo secundò. Ratio Filii debet fundari in aliquo, quo Persona Filii reipsa differt à Persona Spiritus Sancti, reipsa vel formaliter vel virtualiter, concedo, tantum formaliter, nego. Distinctio enim virtualis sicut sufficit ad verificandas has propositiones: *Filius procedit per intellectum, Spiritus Sanctus non per intellectum, sed voluntatem*; ita etiam est sufficiens radix ad verificandas sequentes: *Processio Verbi est generatio, Processio Spiritus Sancti non est generatio*: præsertim cum ex parte termini producti relatio realiter distincta connotetur.

Ad 2. nego minorem. ad probationem minoris, Respondeo: quamvis *ly natura* significet principium actus, non tamen principium intrinsecum conjunctum, à quo oritur aliud suppositum vivens: aliàs neque cæli, neque Angeli propriè haberent naturam. Adde, quòd hæc significatio tantum explicet proprietatem gradus generici, non ipsum gradum specificum, qui per *ly in similitudinem naturæ* requiritur.

Ad 3. Respondeo, vel negando minorem, distinguendo majorem. Tunc fecunditas distinguit Filium, quando est de essentia ipsius metaphysica, & secundum explicitam ac reduplicatam rationem Filii, concedo, de essentia physice acceptæ, & secundum rationem implicitam, nego majorem. sed fecunditas est de essentia Filii in sensu physico & implicito, concedo, metaphysico, de explicito, nego minorem & consequentiam. Ad probationem minoris concedo antecedente disting. consequens: ergo est de ratione Filii, ut Filius est, quòd accipiat virtutem spirativam, nego. De ratione ipsius, ut hic Filius & simul spirator est, concedo consequentiam.

Ad 1. confirmationem. Rursus distinguo, consequens. Virtus spirativa est de essentia Filii, in quantum numericè est distinctus à Spiritu Sancto, concedo, in quantum præcisè Filius est, nego consequentiam. Ideoque Filius in illa hypothese impossibili esset alterius rationis, quam nunc est, quia esset tantum Filius & non spirator.

Ad replicam dico, quidquid est de ratione hujus Filii Divini, est etiam de ratione Filii Divini ut sic: vel ut pertinens ad explicitam, vel ut ad implicitam rationem Filii, concedo, tantum ad explicitam nego. Est ergo fecunditas de ratione Filii Divini, quantum ad rationem implicitam spiratoris, non verò quantum ad rationem explicitam Filii.

Ad secundam confirmationem gratis distinguo  
 primorem. In creatis facunditas est de essentia  
 Filii, quantum ad gradum genericum & materia-  
 lem essentiae, qui non est de primaria intentione  
 generantis, transeat, quantum ad gradum spe-  
 cificam essentiae primario intencum a generante,  
 ergo. Nam in secunditate genitum non nisi in

proprietas generica assimilatur generanti. Addo:  
 quodsi a creatis valeat argumentum, Filius Divi-  
 nus non spirativam, sed generativam virtutem a  
 Patre deberet accipere, ut ipsi foret notionaliter  
 similis: siquidem Patri non modò spirativa, sed  
 etiam generativa communicatio naturae Divi-  
 nae convenit.

## ARTICULUS II.

An propter rationem imaginis processio Verbi sit generatio?

## SUMMARI A.

1. Proponitur sententia Vasquez.
2. Eius patrocinium ab auctoritate.
3. Refutatur: nam etiam Spiritus S. procedit in  
 similitudinem.
4. Et consequenter ut imago Patris.
5. Tantum evincitur ratio imaginis intentionalis,  
 non naturalis.
6. Respondetur ad rationem Vasqui.
7. Proponitur sententia & fundamentum Veckenii.
8. Auctoritas D. Augustini.
9. Incidit hac opinio in fundamenta & refutatio-  
 nem prioris expositionis.
10. Ratio Divi Thomae, quia Processio per intel-  
 lectum est formaliter assimilativa.
11. Auctoritas D. Anselmi pro eadem sen-  
 tentia.
12. An hinc evincatur similitudo naturalis?
13. Ratio formalissima, quia in DEO esse intelli-  
 gibile non distinguitur ab esse naturali.
14. Formalissime idem esse similem in esse intelli-  
 gibili, & in esse naturali.
15. Quomodo in Divinis intendatur productio simi-  
 lilitatis?
16. Spiritus S. ex vi suae processionis procedit ut  
 amor subsistens.
17. An bona consequentia? Spiritus S. ex vi pro-  
 cessionis est DEVS spiratus: ergo ex vi pro-  
 cessionis est DEVS.
18. Nulla distinctio virtualis inter Verbum &  
 Filium.
19. Distinctio processionum.
20. Rejicitur sententia dicentium, Spiritum S. li-  
 bere produci.
21. Quomodo in sano sensu possit admitti Perso-  
 nam Divinam voluntarie produci?
22. Divinae processionis quomodo sint ex aliquo?

## S. I.

Discutitur & rejicitur sententia  
 Vasquez.

Altera est expositio Vasqui Disp. 113. c. 3.  
 Alarcon & aliorum dicentium, ex eo proces-  
 sionem Verbi esse generationem, quia cum sit per  
 intellectum, hoc ipso formaliter termino seu Ver-  
 bo producto tribuit rationem imaginis. Spiritus  
 vero Sanctus, quia per voluntatem procedit,  
 quamvis ex vi suae processionis eandem naturam  
 accipiat, non tamen ex illa habet rationem ima-  
 ginis, sed amoris.

R. P. Mezger, Theol. Schol. Tom. I.

Patrocinium hujus explicationis petunt in pri-  
 mis ab auctoritate S. Augustini l. 7. d. Trinit.  
 c. 2. dicentis: *Eo Filius, quo Verbum, & eo  
 Verbum, quo Filius.* & tr. 48. in Joan. *Verbum  
 DEI semper cum Patre, & semper Verbum: &  
 quia Verbum, ideo Filius.* Subiungunt: sed Fi-  
 lius ideo est Verbum, quia est imago Patris: ergo  
 ex hoc capite etiam est Filius.

Probant & ratione. Filius est essentialiter  
 Imago Patris: ergo ex quo secunda persona ha-  
 bet, quòd sit Imago Patris, ex eo quoque  
 habet, quòd sit Filius Patris: sed ex vi suae  
 processionis intellectualis habet formaliter, quòd  
 sit Imago Patris: hoc autem Spiritus S. non  
 habet ex vi suae processionis: ergo non Spi-  
 ritus S. sed Verbum ex vi suae processionis  
 procedit ut Filius.

Hæc tamen explicatio deficit imprimis, quia 3.  
 definitio generationis exigit, terminum pro-  
 duci in similitudinem, non in imaginem. Er-  
 go si processio Spiritus S. non minus est in  
 similitudinem, quam processio Filii, non est  
 ratio, cur magis processio Filii sit generatio,  
 quam processio Spiritus S.

Et secundo. Ideo Filius est Imago Patris, 4.  
 quia procedit in similitudinem ipsius: ideoque  
 ratio imaginis præsupponit similitudinem cum  
 producente; ad eamque necessariò sequitur;  
 ita quidem, ut sit impossibile, aliquod vivens  
 procedere ab altero cum similitudine ad ipsum,  
 quin hoc ipso illud repræsentet, sitque imago  
 illius. Sed ex mente Advers. Spiritus S. pro-  
 cedit à Patre in similitudinem naturæ ipsius.  
 Non ergo minus procedit ut Imago Patris,  
 quam Filius. Unde & Græci Spiritum S. ap-  
 pellant Imaginem Patris.

Tertiò. Imago & ratio Verbi quantumvis  
 comprehensivi, ex vi intellectiois ab essentia  
 Divina virtualiter distincta, non plus exigit,  
 quam rationem Imaginis repræsentativæ & in-  
 tentionalis; quæ non sufficit ad rationem Fi-  
 lii, cum iste debeat esse Imago naturalis &  
 consubstantialis, sed per Advers. essentia Di-  
 vina est virtualiter distincta ab intellectu: ergo  
 ex vi intellectiois Verbum plus non acci-  
 pit, quam rationem imaginis repræsentativæ  
 & intentionalis.

Cæterum Vasquez ratio non admodum ur-  
 get: facile enim Resp. Filius essentialiter est  
 imago Patris naturalis, & quæ sequitur simi-  
 litudinem.

E c